Bijlage VWO

2026

tijdvak 1

Latijnse taal en cultuur

Tekstboekje

Tekst 1

Omgaan met verlies.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM

Moleste fero decessisse Flaccum, amicum tuum, plus tamen aequo dolere te nolo. Illud, ut non doleas, vix audebo exigere; et esse melius scio. Sed cui ista firmitas animi continget nisi iam multum supra fortunam elato? Illum quoque ista res vellicabit, sed tantum vellicabit. Nobis autem ignosci potest prolapsis ad lacrimas, si non nimiae decucurrerunt, si ipsi illas repressimus. Nec sicci sint oculi amisso amico nec fluant; lacrimandum est, non plorandum. Duram tibi legem videor ponere, cum poetarum Graecorum maximus ius flendi dederit in unum dumtaxat diem, cum dixerit etiam Niobam de cibo cogitasse? Quaeris unde sint lamentationes, unde inmodici fletus? Per lacrimas argumenta desiderii quaerimus et dolorem non sequimur sed ostendimus; nemo tristis sibi est. O infelicem stultitiam! Est aliqua et doloris ambitio. "Quid ergo?" inquis "Obliviscar amici?" Brevem illi apud te memoriam promittis, si cum dolore mansura est: iam istam frontem ad risum quaelibet fortuita res transferet. Non differo in longius tempus quo desiderium omne mulcetur, quo etiam acerrimi luctus residunt: cum primum te observare desieris, imago ista tristitiae discedet. Nunc ipse custodis dolorem tuum; sed custodienti quoque elabitur, eoque citius quo est acrior desinit. Id agamus ut iucunda nobis amissorum fiat recordatio. Nemo libenter ad id redit quod non sine tormento cogitaturus est, sicut illud fieri necesse est, ut cum aliquo nobis morsu amissorum quos amavimus nomen occurrat; sed hic quoque morsus habet suam voluptatem. Nam, ut dicere solebat Attalus noster, "sic amicorum defunctorum memoria iucunda est quomodo poma quaedam sunt suaviter aspera, quomodo in vino nimis veteri ipsa nos amaritudo delectat; cum vero intervenit spatium, omne quod angebat extinguitur et pura ad nos voluptas venit." Si illi credimus, "Amicos incolumes cogitare melle ac placenta frui est: eorum qui fuerunt

retractatio non sine acerbitate quadam iuvat. Quis autem negaverit haec acria quoque et habentia austeritatis aliquid stomachum excitare?" Ego non idem sentio: mihi amicorum defunctorum cogitatio dulcis ac blanda est; habui enim illos tamquam amissurus, amisi tamquam habeam.

Fac ergo, mi Lucili, quod aequitatem tuam decet, desine beneficium fortunae male interpretari: abstulit, sed dedit.

Seneca, Epistulae Morales ad Lucilium 63.1-7

Tekst 2

Cicero is ontroostbaar.

Quod me ab hoc maerore recreari vis, facis ut omnia; sed me mihi non defuisse tu testis es. Nihil enim de maerore minuendo scriptum ab ullo est quod ego non domi tuae legerim. Sed omnem consolationem vincit dolor. Quin etiam feci, quod profecto ante me nemo, ut ipse me per litteras consolarer. Quem librum ad te mittam, si descripserint librarii. Adfirmo tibi nullam consolationem esse talem. Totos dies scribo, non quo proficiam quid sed tantisper impedior — non equidem satis (vis enim urget), — sed relaxor tamen, omniaque nitor non ad animum sed ad vultum ipsum, si queam, reficiendum, idque faciens interdum mihi peccare videor, interdum peccaturus esse nisi faciam. Solitudo aliquid adiuvat, sed multo plus proficeret si tu tamen interesses. Quae mihi una causa est hinc discedendi; nam pro malis recte habebat. Quamquam ⟨id⟩ ipsum doleo. Non enim iam in me idem esse poteris. Perierunt illa quae amabas.

De Bruti ad me litteris scripsi ad te antea. Prudenter scriptae, sed nihil quod me adiuvaret. Quod ad te scripsit id vellem, ut ipse adesset. Certe aliquid, quoniam me tam valde amat, adiuvaret.

Cicero, Ad Atticum 12.14.3-4

Tekst 3

Laelius beschrijft echte vriendschap.

Ik zie de natuurlijke orde voor de mens als volgt: Wij zijn geboren in een situatie waarin alle mensen onderling iets gemeenschappelijks hebben, méér ervan naarmate de onderlinge band nauwer is. Stadgenoten bijvoorbeeld voelen zich meer verbonden met elkaar dan met mensen van elders, familieleden onderling meer dan met vreemden. Geheel op natuurlijke wijze ontstaan deze relaties tussen hen. Maar die natuurlijke band mist een solide basis. Vriendschap in de ware zin van het woord staat ver boven dat soort verbonden zijn. Kijk maar. Uit zulke relaties kun je de hartelijke genegenheid wegdenken, uit vriendschap niet. Is de genegenheid uit zo'n natuurlijke binding weg, dan is het met de vriendschap gedaan, maar het blijven wel buurtgenoten of verwanten.

De oerkracht van vriendschap kun je beseffen als je het zo bekijkt: uit de onbegrensde natuurlijke band tussen alle mensen zondert vriendschap zich af tot een zo innige verbintenis, dat het hele gemeenschapsgevoel wordt vernauwd tot liefde tussen twee mensen, in elk geval tussen weinigen.

Est enim amicitia nihil aliud nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate consensio; qua quidem haud scio an excepta sapientia nihil melius homini sit a dis immortalibus datum. Divitias alii praeponunt, bonam alii valetudinem, alii potentiam, alii honores, multi etiam voluptates: beluarum hoc quidem extremum; illa autem superiora caduca et incerta, posita non tam in consiliis nostris quam in fortunae temeritate. Qui autem in virtute summum bonum ponunt, praeclare illi quidem, sed haec ipsa virtus amicitiam et gignit et continet, nec sine virtute amicitia esse ullo pacto potest. Iam virtutem ex consuetudine vitae sermonisque nostri interpretemur, nec eam, ut quidam docti, verborum magnificentia metiamur, virosque bonos eos qui habentur numeremus: Paulos, Catones, Galos, Scipiones, Philos. His communis vita contenta est, eos autem omittamus qui omnino nusquam reperiuntur.

Tales igitur inter viros amicitia tantas opportunitates habet quantas vix queo dicere. Principio qui potest esse vita vitalis, ut ait Ennius, quae non in amici mutua benevolentia conquiescit? Quid dulcius quam habere quicum omnia audeas sic loqui ut tecum? Qui esset tantus fructus in prosperis rebus nisi haberes qui illis aeque ac tu ipse gauderet? Adversas vero ferre difficile esset sine eo qui illas gravius etiam quam tu ferret.

Cicero, Laelius / De Amicitia 19-22

Tekst 4

Het onderwerp van de onderstaande tekst is het proces van voortdurende verandering waaraan alles onderworpen is, inclusief de mens zelf.
Seneca schrijft dat mensen wat dat betreft op stromende rivieren lijken.
Hij haalt daarbij een beroemde uitspraak van de Griekse filosoof Heraclitus aan, die hij daarna ook even uitlegt.
Vervolgens uit Seneca zijn verbazing over het feit dat veel mensen zich zo druk maken over het sterven: we sterven immers elke dag al een klein beetje. We zouden gewend moeten zijn aan de vergankelijkheid van alles, inclusief onze eigen lichamen.

Nemo nostrum idem est in senectute, qui fuit iuvenis; nemo nostrum est idem mane, qui fuit pridie. Corpora nostra rapiuntur fluminum more. Quicquid vides, currit cum tempore. Nihil ex iis, quae videmus, manet. Ego ipse, dum loquor mutari ista, mutatus sum. Hoc est, quod ait Heraclitus: "Als iemand zegt dat hij tweemaal in dezelfde rivier is gestapt, dan is dat waar, maar toch ook niet waar." Manet enim idem fluminis nomen, aqua transmissa est.
Hoc in amne manifestius est quam in homine. Sed nos quoque non minus velox cursus praetervehit, et ideo admiror dementiam nostram, quod tantopere amamus rem fugacissimam, corpus, timemusque, ne quando moriamur, cum omne momentum mors prioris habitus sit. Vis tu non timere, ne semel fiat, quod cotidie fit!

Seneca, Epistulae Morales ad Lucilium 58.22-23

Aantekeningen

regel 1 **nostrum** *(tweemaal in regel 1)* van ons
iuvenis *Predicatief vertalen.*

regel 2 **rapi** snel voorbijgaan
more *+ genitivus* zoals

regel 3 **currere** vergaan

regel 4 **mutari** *(tweemaal in regel 4)* veranderen

regel 5 **Heraclitus** *een beroemde Griekse filosoof uit de vijfde eeuw voor Christus*

regel 7 **transmitti** verder stromen

regel 8 **Hoc** *Hiermee bedoelt Seneca het proces van voortdurende verandering.*

regel 9 **praetervehere** meesleuren
admirari *+ accusativus* zich verbazen over

regel 10 **fugax** vergankelijk
corpus *Hiermee duidt Seneca aan, wat hij concreet bedoelt met* **rem fugacissimam** *(regel 10).*
quando ooit

regel 11 **cum** *t/m* **sit** terwijl elk nieuw moment de dood van onze vorige toestand inhoudt
Vis tu non Je moet niet